



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ESEKANENSIS** IN CAMMARUNIA NOVA  
CONDITUR DIOECESIS NOMINE ESEKANENSIS Pro gravissimo Nostro munere supremi Pastoris  
Ecclesiae de omnium Christifidelium spirituali bono atque regimine solliciti, accipiendam esse putamus sententiam  
Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium atque Praesulum Congregationi pro Gentium Evangelizatione  
praepositorum, qui ad aptius in Cammarunia consulendum evangelizationis operi, re mature perpensa auditisque eorum  
quorum interest faventibus votis, censuerunt nuper in eadem Natione novam constituendam esse dioecesim, quadam  
de tratta parte ab archidioecesi Dualai'nsi. Summa igitur Apostolica potestate ab archidioecesi, quam diximus, distrahimus  
partem quae complectitur totum civile territorium « Département de Nyong-et-Kelle » nuncupatum, ex eaque novam  
condimus dioecesim Esekanensem appellandam, quam metropolitanae Sedi Dualaënsi suffraganeam facimus atque  
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illius totius civilis  
territorii, quod memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram collocari in templo Beatae Mariae Virgini Fatimensi  
dicato, quod exstat in suburbio Esekanensi, pariterque consultores dioecesanos eligi et adhiberi ad normam iuris; cetera  
quidem secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda curabit Venerabilis Frater Sanctes  
Abril y Castelló, Archiepiscopus titulo Tamadensis, Apostolicus Pronuntius in Cammarunia, vel ab eo delegatus  
sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad  
Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum  
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die altero et vicesimo  
mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

|                           |   |
|---------------------------|---|
| ANGELUS card. SODANO      | IOSEPHUS card. TOMKO                    |
| <i>Secretarius Status</i> | <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i> |

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*  
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

---

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana